

2491

C O D I C E S

2492

*Vereor patres vereor, ne plures falsa se tueantur necessitate &c. Examinat deinceps V. Absentiae cauffas five praetextus, et IV. Utilitates ejusmodi Conventuum annuorum exponit. Videas per omnia Virum Dei spiritu plenum, religiosae Disciplinae studiosissimum, et qui veritatem acriter inculcet. Dolendum itaque, Orationem hanc Job. Busaei, qui *Pia Nostri Opera Moguntiae* 1604. f. in lucem dedit, oculos effugisse; ab Oratione enim a. 1497. habita ad habitam a. 1500. transit. Nostri, ut ad calcem notatur, dicta est in Coenobio *Reinbardsborn* in *Turingia*, quod nunc *Saxogothanae* ditionis est.*

DCLIV.

728 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Foliorum 82. 4. luculente scriptus, et minio distinctus complectitur *Statuta Ordinis Cisterciensis* et quidem edita in Conventibus generalibus ab Anno 1258. usque ad Annum 1350. Praemittitur *Tabula diffinitionum Annalium*. Statutorum vero hoc est initium: *Anno domini M^o. CC^o. LVIII^o. Statuta sunt haec apud Cystercium in Capitulo generali. In primis. Cum excessus vocum et cantuum multipliciter debonestet ordinis honestatem. Idcirco cum ab antiquo per sanctos patres fuerit institutum. ut mediocritas seruetur in cantu &c. Statutum ultimum Anni MCCCL. ita inchoat: Inprimis deuocionem cunctorum fidelium utriusque sexus Cysterciensis ordinis professorum qui*

*celestis beatitudinis desiderant fieri participes post transitum lugubre (lugubris?) huius uite uolentes fouere &c. Haec Statuta non habentur serie chronologica, ut hic, in *Juliani Paris Nomastico* (quod apud *Lengletum* in *Monastico*, apud *Jöcherum* in *Onomastico* corrumptur) *Cisterc. Paris.* 1664. f. An inter *Constitutiones* ejusd. Ordinis *Divione* per *Petr. Metlinger* 1490. 4. impressas reperiantur, dicere non habeo, cum solum *Priuelegia* Ord. ab eod. *ibid.* 1491. 4. prelo subjecta ad manum sint.*

DCLV.

Codex membraneus lat. Sec. 153 XIV. et XV. Folior. 245. f. per duas columnas nitide scriptus et miniatu continet. I. *Humberti, f. Humberti, Umberti, Imberti de Romanis*, galli a. 1254. *Budae* in *Hungaria* ad generale Ord. Praed. Magisterium euecti et ✠ 1277. *Librum de Instructione Officialium FF. Ordinis Praedicatorum*. Constat Capitibus XLVII. elenchum praecedente hac nota: *Ista que subscripta sunt de officijs ordinis. non sunt scripta ad hoc quod inferant aliquam necessitatem. sed ad hoc tantum ut fratres quibus imponuntur aliqua officia et nondum sunt in illis bene instructi. possint hic respicere si velint. et si aliquid ibi inueniunt quod eis rationabile videatur. possint acceptare si volunt. Alioquin in nullo tenentur ex ui huius scripture propter quod dicitur instructorium. Sat certe benigne. Post Capp. elenchum Incipit prologus venerabilis patris.*